

MATTHIÆ BERLICHII  
Jure-Consulti



DECISIONES

AURÆ,

Casus admodum pulchros, contro-  
versos & utiles continentes,

Usu Practico, & quo-

tidiana experientia observatæ  
& conscriptæ.



*Quarum cum antea duæ saltem partes ex-  
tarent, nunc è MSCto beati Autoris tertia adjectione lo-  
cupletata hac editio, à mendis repurgata, & Indicibus necessariis instructa  
ac Prefatione aucta noviter prodit.*


CUM PRIVILEGIO.

---

LIPSIÆ,

Sumtibus Viduæ & Hæredum LANKISCHIANORUM

ANNO MDC LXXIII.




*Præfatio ad Lectorem.*

**N**ter reliqua quæ Saxoniam nostram jura egregiis  
commentationibus hoc seculo illustrarunt, cla-  
rum eminuit MATTHIÆ BERLICHII ingenium,  
cujus ut fidelem operam complures dum ipse vi-  
veret experti sunt, ita quod ad perenne nominis  
decus attinet, plurima provisâ prudenter, gravi-  
ter consulta & acutè responsa inter celeberrimorum Juris con-  
sultorum commentarios, non ad nostri magis venturique disci-  
plinam temporis, quam ad perpetuam auctoris sui gloriam custo-  
dientur: vivetque adeo in aureis suis quæ reliquit scriptis, tam  
venerabilis omni futuro ætati, quam suæ fuit utilis. Nam de  
vivo constans fama est, præter domesticas clientelas complures,  
ex aliis locis magnum in hanc civitatem, ad hunc Virum eorum  
fuisse concursum, quorum in aulis vel dicasteriis Electorum  
Principum Provinciarumque lites erant occupatæ: plurimos etiam  
clientes non tam advocacionis officio, quam prudentissimis Pa-  
troni hujus exoptatissimi consiliis operaque se sustentasse: quippe  
cujus ingenii præsidio innocentes judiciorum poenâ liberari, dex-  
teritate ambigua causarum fata dirimi, fide ac industriâ ardua  
quævis fori negotia poterant expediri: adeo ut gloriam quam  
Aper ille apud Romanum auctorem, & Crassus apud Tullium  
Juris consulto Juris consultive domo tribuunt, oraculum civita-  
tis appellantes, quod maximâ quotidie frequentiam civium ac  
summorum hominum splendore celebratur, Berlichius longè  
maximam assecutus videri possit: nisi animo honesta magis



Vultu hic BERLICHIVS vivit, redivivus in ipso  
 Bartolus ac Baldus, juris et omne jubat.  
 Saxonis ut totum Jus clarum reddidit arte:  
 Reddidit et clarum Jus ita nomen ei.



DECISIO I.

Per citationem circumductam an & quatenus inducatur litis pendentia?

S U M M A R I A.

- 1. Per solam citationem induci litis pendentia.
- 2. Modo citatio non fuerit circumducta.
- 3. Quatenus per circumductam citationem litis pendentia inducatur, & n. 4.
- 5. JCorum Lipsiensium sententia de hac re.

**P**er solam citationem, adhibitis tamen certis requisitis, induci litis pendentiam, ubique DD. tradunt per *Clement. 2. tit. ut lite pend. nihil innovet: ubi gloss. fin. verb. plenè.* Gvid, Papa (*ubi sex requisita recenset*) *decis. 488. incip. lit non dicitur, num. 1. & seq. per tot. Mynsing. (ubi etiam sex requisita refert) cent. 4. observ. 26. incip. non semel. num. 1. & seqq. Gail. lib. 1. observ. 74. num. 17. Vult. in l. 2. C. de iurisd. num. 12. & in l. 4. C. eod. n. 30. Mascard. de probat. concl. 1226. n. 6. Anton. Hering. de fidejuss. c. 23. n. 46. & seq.*

Modò citatio non fuerit circumducta, & actor comparuerit, aliàs, si actor in termino emissæ citationis non compareat, per ejusmodi citationem circumductam litis pendentia non inducitur. *Matth. de Afflict. decis. 366. incip. in pleno. num. 14. Mynsing. centur. 4. d. obser. 26. n. 6. sub fin. vers. illud rectè Zanger. de Except. part. 2. c. 13. incip. quarta exceptio, num. 112. & seq. Hering. de fidejuss. d. c. 23. num. 47. Wurmbf. lib. 1. obser. tit. 6. observ. 16. n. 2. vers. & non facit. & seq. Bl. in l. 1. ff. de in iur. voc. n. 1. ibi, sed an dicatur. & in l. ex hoc ult. ff. de eo per quem facis erit quo minus. n. 5. vers. dum tamen citatio. Felin. inc. illud. 3. extr. de prescript. n. 5. vers. quod dictum facit. & seq.*

Quod verum est, quatenus litis pendentia concernit favorem ipsius actoris, aliquem citari facientis, secus si in ejus odium allegatur, tunc enim per circumductam citationem in odium actoris non comparentis rectè inducitur litis pendentia. *Bl. in l. & post edictum. 73. §. quod si. 1. ff. de judic. n. 1. in princ. junct. n. 2. vers. sed an ipso jure. & seq. Bellemer. decis. 722. incip. si appellatus. n. 9.*